Descriptio Novi Instrumenti, quo methodus extrahendi Cataractam facilior tutiorque redditur.

Auctore
G. J. Van Wij
Chirurgo Nosocomii Amstelaedamensis, vulgo Pesthuis dicti, primario, Lithotomo Civitatis ordinario, Societatis Ultrajectinae, et Haganae Socio.

Coté onze pages
et une planche
A Dureau

Quamquam hodie ad magnum perfectionis gradum ~~per~~-~~ est~~ perducta est illa methodus, qua in extrahenda lente crystallina vario modo obfuscata, quae generali nomine cataractae venit, extrahenda procedimus, supersunt tamen nonnullae magni etiam momenti difficultates, quae faciunt ut aliquando vel plane non succedat, aut minus felicem eventum sortiatur, utut rite peracta operatio.
Accidit enim haud raro, (quod et exercitatissimo Chirurgo quandoque evenit,) ut in adigendo cultello ad oppositum oculi partem et incidenda corneam versus ~~inferior~~ inferiora, iris laedatur ac laceretur; saepe etiam contingit, ut in extrahendo cultello, haecce membrana ita cultro sese affigit, ut ejus dilaceratio neutiquam praecaveri valeat, quo fit, ut, sublata etiam causa caecitatis, videndi facultas tamen non restituatur. Quae infortunia cum alii festinando superare conantur, in aliud vitium incurrunt: nimirum corneam prope marginem scleroticae versus inferiora non dividunt, sed in medio e regione pupillae pertundunt; unde aliter fieri nequit, quin, cicatrice facta, radii lucis magna pro parte a pupilla arceantur, nec ad retinam pertingere queant. Saepius etiam omni adhibita cautela, minime hoc infortunium evitare potest

Chirurgus, quando corneam solito convexiorem offendat. Magnum etiam laedendae iridis subest periculum, quum oculi nimis mobiles non satis sub operatione ~~figantur nec~~ possunt: idem etiam locum habet, ubi oculi in orbita admodum reconditi, aut cornea valde complanata observatur.

Quae obstacula cum mihi in arte versanti quotidie obvenirent, (quaeque fusius in diario quodam Belgico a. 1777 a me exposita fuerunt) dudum jam cogitavi de methodo, qua haecce incommoda removeri valerent, donec tandem in sequens instrumentum inciderim, quod coram Regia Academia sisto ejusque examini subjicio, ad quod accuratius describendum nunc progredior.

Convenit hoc quoad habitum externum cum illo instrumento, quo Germani et nostrates etiam ad aperiendas venas utuntur, apud quos sub nomine Sneller aut Snipper venit. verum cultellus maxime differt, hic quidem anterius utrinque scindit (Fig. 1. g.), sed versus posteriora margo ejus ob superior obtusus et rotundus est (Fig. 1. h.), qui a principio ad finem sensim sensimque crassitie increscat (Fig. 1. a.), ab utraque parte convexus est cultellus; caeterum alatae, quae capsula includitur, quemadmodum in vulgari instrumento obtinet, movetur. Methodus autem adhibendi haec est: oculo antea consueta ratione firmato, instrumentum, retracto cultello et fixato, intra pollicem et

indicem dextrae manus, si sinister oculus laboret, pre-
hendit Chirurgus, dextro autem affecto oculo, contraria
ratione procedit; tunc mucronem cultelli in cameram
oculi anteriorem adigit ad marginem proximum pupil-
lae usque (v. Fig. 2. B.), quem ad locum ubi pervenit, ali-
quantum oblique versus inferiora cultrum dirigit, dein
elatere appresso cultellum laxat, qui tali ratione
inferiorem corneae marginem semilunari apertura discindit,
~~tur~~ (v. Fig. 2. C.). Hoc modo si procedamus, una vice
pars corneae inferior ad sat magnam distantiam
qua lens exeat, discindi potest, quod mihi et in
cadaveribus et in vivis, quorum historias mox sub-
jungam, semper successit. Sin vero animus sit
majorem corneae partem aperire, ita dirigi potest
instrumentum, ut apex cultelli prodeat ad locum
(v. Fig. 3. G.), et pars inferior corneae (v. Fig. 3. C.) in-
tegra maneat, quae tunc adducto instrumento, facile
discindi valebit, quin tamen minimus sit iridis
laedendae metus. Semper autem attendendum
est, ut cultellus ex durissima chalybe conficiatur,
secus enim per vim, ei ab elatere impressam, fa-
cile mucro diffrumperetur.

Ex hujus machinae descriptione elucebit, cataractae
extractionem sic liberari ab illis difficultatibus, in-
commodis et periculis, quae alias haud raro eam
comitantur; ita enim comparata est machina, ut
corporis ejus crassities sensim increscente, viam hu-
mori aqueo praecludat, neque hunc ante elabi sinat,

quam tota cornea fuerit discissa, unde nullum nunc periculum vulnerandi iridem, quae suo loco immobilis manet, adest. Deinde, ubi mucro cultelli cameram oculi anteriorem intraverit, pro lubitu ejus directionem moderari valemus, ex quo hoc commodum enascitur, quod corneam, licet maxime convexa sit, ad marginem scleroticae discindere tamen possimus. Accedit, quod haecce nostra operatio aeque facile sinistra quam dextra manu perfici queat, quod in altera methodo summam quandoque difficultatem facit. Denique nullus est in nostra methodo laedendae uveae metus, modo cultellus recte applicetur; ille enim necessario constanter eandem sequitur directionem, dum manus artificis in vulgari operandi modo saepius deviare et iridem laedere possit.

Tot ac tanta quum hujus operationis videantur esse commoda, institui etiam tentamina quaedam, visurus, an novus operandi hicce modus usui et experientiae sese probaret. in cadaveribus itaque plurima experimenta cum meo cultello cepi, quae cum ex omni parte ~~meo~~ voto responderent, tuto eandem operationem in vivis etiam suscipi posse judicavi, uti meo exempla, quae mox subjicio, confirmant.

I. G. Vogel Dantiscanus, annos XXXij natus, ex praegresso rheumatismo, uti narravit, elapsis jam vij annis, dextrum oculum cataracta obfuscatum

habuit. Propter ulcus genarum ~~in genis~~ nostro Nosodochio re-
ceptus fuit: post hujus sanationem me rogabat,
vellemne cataractam ei extrahere; quum vero pu-
pilla dilatata maxime et immobilis erat, metue-
bamus Nosocomii Medicus et ego, ne propter amau-
rosin conjunctam operatio foret frustranea, atque
adeo hanc ei dissuadebamus. Quum tamen non sa-
tis constaret, num immobilitas pupillae ab amau-
rosi, num a capsulae lentis ad uveam accretione
~~proficisci~~ proficisceretur, iteratis etiam hujus vi-
ri precibus victus tandem voto cessi, operationemque
novo meo instrumento d. 8. Novembr. peregi, prae-
sente D. ~~[illegible]~~ van Erichem, Medico hujus no-
socomii ordinario, atque tunc ita sese mihi pro-
bavit haec operandi methodus, ut, quam de hac
conceperam spem, certam ratamque invenerim.
Facile postquam consueto modo capsulam aperuis-
sem, exibat lens crystallina, cum autem viderem
capsulam lentis etiam esse opacam et uveae
undique cohaerentem, hanc cochlearuli ope ab ad-
haesione solvi et extraxi, nihilominus tamen iris
immobilis manebat, unde suspicio amauroseos
confirmabatur nec aliquid opis aegro afferebat
operatio. Inflammatio, quae insequebatur, levis
admodum intra breve temporis spatium dissipa-
batur, oculus autem, uti in amaurosi obtinet,
externa facie sat bene sese habebat, caeterum
cicatrix ad imam corneae sedem semilunarem

figuram habebat et vix conspici poterat. Quies ocu-
lorum unice ad dissipandam inflammationem adhi-
bita fuit, quam, superimposito oculis emplastro coe-
ruleo, conciliavi, qua ratione semper feliciter in opere
versatus fui, ita ut varia ista collyria, quae huncce
in finem commendantur, supervacanea prorsus
existimem.
A. Claasen annorum LIV propter ulcus pha-
gadaenicum in crure sinistro nosocomium in-
traverat, ejusdem oculus dexter, elapsis jam annis
XVI, ex causa illi incognita, lactea cataracta obfu-
scatus erat. Oculi profunde admodum in orbita
delitescebant, quapropter vulgaris operatio non sine
maxima difficultate institui valebat: nihilominus
tamen hanc mense Septembri tentavi, verum cultello
in cameram oculi anteriorem immisso, statim experie-
bar, hanc operationem sine notabili iridis vulnere
perfici haud posse, quapropter ab opere desistebam, et
cultro versus inferiora deducto, vulnus ampliabam, per
quod cochlearculum immittebam, ut mutatam et oblon-
gam pupillae formam restituerem, quae tamen an-
gulum quendam retinebat versus canthum oculi mi-
norem. Inflammatio tamen levis erat et vulnus
brevi sanabatur. Ex hac infelici operatione novi in-
strumenti nata fuit idea, cujus ope XI Novembr.
repetii operationem, praesente D. van Erichem.
Quamquam autem, uti jam monui, minime huic
operationi favebat oculus, feliciter tamen adeo cessit,

ut, cornea divissa, sponte lens elaberetur, quin tamen
iris laederetur. Pupilla eodem in statu remanebat,
unde in initio tantum lucem a tenebris distinguere
valebat, nunc vero objecta diversa recte discernere
jam potest. Cornea ad marginem inferiorem semilu-
nari forma erat divisa, atque ita cicatrix radiis
lucis nullum obstaculum faciebat, et quanquam
cornea valde complanata irisque proxime huic mem-
branae sita erat, nulla hinc difficultas in opera-
tione fuit enata, multo minus iris vulnerata,
ex quo exemplo optime apparet, in quantum haec
nostra methodus prae vulgari sit ponenda.

Monendum adhuc restat, post absolutas cultelli
figuras, quas paraveram, me repetitis in cadave-
rum oculis tentaminibus, majorem huic me-
thodo perfectionem conciliandi scopo, alia quodam
modo ratione formatum cultellum conficiendum
curasse, quippe quem melius scopo respondere
deprehenderim. Atque hic talis est qualem
offero; majorem enim, quam figurae repraesen-
tant, longitudinem aciemque magis incurvatam
habens, vulnere latiore corneam discindit, totamque
sectionem plenarie absolvit, quo fit, ut lens fa-
cilius prodeat, nec opus sit relictam corneae
lamellam denuo secare, quod alias nonnun-
quam evenire solebat.

Figurarum Explicatio.

Fig. 1. a. cultellus convexus, ad extremum Stili longioris b., qui capsâ aeneâ c., a k. ad l. continetur, eique ad b. ope cochleae affigitur. Si animus sit Stilum loco inferiori firmare, fieri hoc poterit per foramen m. n. o. sunt foramina in capsa aenea, quibus retinentur ac firmantur duo Stili minores ad elaterem pertinentes, cujus extremitas ad d. ~~[illegible]~~ comparet, caeterae vero partes capsula teguntur. Elateris extremitas d., quae ante operationem ad f. ~~ultra~~ retrahi debet, ut fixari possit per uncum (qui invenitur ad apicem vectis chalybeice, capsulae continetur,) ~~est~~ eousque donec cultello a. in cameram oculi anteriorem introducto recteque locato, elater laxari debeat, quod premendo locum e. e. effici potest. g. ad hanc usque distantiam cultellus dichotomus, inde vero ad locum h. dorsum est obtusum ac rotundum, sensimque a g. ad h. crassitie augetur, ratione partis convexae a.

Fig. 2. A. Bulbus oculi sini~~stri~~tri. B. locum indicat, ubi et quousque cultellus D. intromitti debeat, ut sectio obliqua Semilunaris ad C. usque perfici possit.

Ad Fig. 3. E. Buccini manus dextra. F. significat locum et directionem cultri F, et quousque eum per ~~com~~ corneam in cameram oculi anteriorem ad mediam pupillam ducere opus est, et cultello per pressionem ad oculum &c. Fig. 4 ea[illegible] tere cultelli acuti arcum percurrens quodam[illegible]


Figurarum Explicatio.

Fig. I. a. [illegible] extremum stili
longioris b., qui capsulae [illegible] c., a b. ad f. [illegible]
netur, eique ad t. ope cochleae affigitur. Si ani-
mus sit stilum loco inferiori firmare, fieri hoc
potest per [illegible] m. n. c. sunt foramina in
capsula aenea, quibus retinentur ac firmantur duo
stili minores [illegible] pertinentes, cujus ex-
tremitas ad d. ~~[illegible]~~ comparet, caeterae vero partes cap-
sula teguntur. Elatoris extremitas g, quae
ante operationem ad f. ~~usque~~ retrahi debet, ut
fixari possit per uncum (qui invenitur ad apicem
vectis [illegible] capsulaque continetur) ~~est~~ eousque donec cultello a.
in cameram oculi anteriorem introducto, recteque
locato, [illegible] premendo [illegible]
e. e. [illegible] g. [illegible]
cultellus [illegible], inde vero ad dorsum h.
Dorsum est obtusum ac rotundum, tenuique
a g. ad h. crassitie augatur [illegible] partis con-
vexae a.

Fig. 2. A. [illegible] ~~[illegible]~~ stet. B. [illegible]
[illegible] et [illegible] cultellus D intro-
mitti debebit ut sectio obliqua [illegible] lamina-
nis ad C. usque perficii possit.

Fig. 3. F. Bulbus oculi dextri: F. significat
locum et directionem cultri P, et quousque eum
per ~~com~~ corneam in cameram oculi anteriorem
ad mediam pupillam ducere oportebit, ut
lascato per pressionem ad locum e.e. Fig. 1. ela-
tere cultellus circuli arcum percurrens quoddam

~~Ms~~ de Van Wij



M. Houtman ad objecta del: 1784.

Figurarum Explicatio.

Fig. 1. a. cultellus convexus, ad extremum Stili longioris b., qui capsâ aeneâ c., a k. ad l. conti,netur, atque ad l. ope cochleae affigitur. Si ani,mus sit Stilum loco inferiori firmare, fieri hoc

poten[illegible]

capsa [illegible]

Stili [illegible]

trem[illegible]

Sula [illegible]

ante [illegible]

fixar[illegible]

vectu[illegible]

in ca[illegible]

locata [illegible]

l. l. [illegible]

culte[illegible]

dorsu[illegible]

a g. [illegible]

vexae [illegible]

Fig[illegible]

indic[illegible]

mitt[illegible]

nis [illegible]

Fig. 3. F. Bulbus oculi dextri. F. significat locum et directionem cultri P, et quousque eum per ~~corn~~ corneam in cameram oculi anteriorem ad mediam pupillam ducere oportebit, ut lascato per pressionem ad locum e.e. Fig. 1. elatere, cultellus circuli arcum percurrens quodammodo oblique deorsum ad G. H. prodeat, corneamque ab I. ad H. una vice ad marginem ejus inferiorem dividat.

Avec planche

A Dey